Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26385
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dens symon dixit. Estimo quia is cui plus donavit. At ille 127
dixit. Recte iudicasti. Et conversus ad mulierem dixit
symoni. Vides hanc mulierem. Intravi in domum tuam.
aquam pedibus meis non dedisti. hec autem lacrimis rigavit
pedes meos et capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti.
hec autem ex quo intravit non cessavit osculari pedes meos.
Oleo caput meum non unxisti. hec autem unguento unxit
pedes meos. Propter quod dico tibi remittuntur ei peccata
multa quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur
minus diligit. Dixit autem ad illam. Remittuntur tibi peccata.
Et ceperunt qui simul accumbebant dicere intra se Quis
est hic qui etiam peccata dimittit. Dixit autem ad mulie-
rem. Fides tua te salvam fecit. vade in pace. GREGORII PP.
Cogitanti mihi de marie penitentia flere magis li-
bet quam aliquid dicere. In nat. s. IACOBI.
ACCESSIT ad ihesum mater filiorum zebedei cum MATH.
filiis suis adorans et petens aliquid ab eo. Qui
dixit ei. Quid vis. At illa dixit. Dic ut sedeant hi
duo filii mei unus ad dexteram tuam et unus ad sinist-
ram tuam in regno tuo. Respondens autem ihesus dixit.
Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego